



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXXII.

DE
 SPECIEBUS ENTIS,
 ET SPECIATIM DE SUBSTANTIA
 ET ACCIDENTE.

Quam,
 Trisagio adjuvante Numine,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILMANI

V Vitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
 Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
 CHRISTOPHORUS GRUNHA-
 GIUS, Cellã Saxo.

In celeberrimã V Vittebergensi Academiã,
 ad diem 12. Januar. horis 8 loco solitis,
 Seneca lib. 2. de Ira cap. 29.
 Magis veritas elucet, quò sæpius ad manum venit.

VVITTEBERGÆ,
 Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.





*Amplissimis, consultissimis & pru-
dentissimis Viris,*

**DN. CONSULIBUS
ET SENATORIBUS INCLYTÆ
Reipublicæ Cellensis dignissimis,
Mecœnatibus suis submissè
honorandis,**

*Debitum gratitudinis τεκμήριον hac ἐξετάσεως Meta-
physicæ nuncupatione officiosè testatur:*

Μηλοφόρισι καθὼς τηρῶσιν λήϊα γάϊης
Ὅσπερ ἰα ζειδώρων πρῶτιστα πορίζετο καρπῶν:
οὕτω ἐγὼ ὑμῖν, πεπνυμένα μῆδεα ἀνδρες:
Εἰδότες, ὡς πέλεται θέμις, ἀγρῶ ἀπαργματ' ὀπάζω:
Λήθετε τιγαρρῶν σαχύας πρῶτοιο θερισμῶ,
καὶ πραπίδεσσιν ὅλης ὄν ἐργάτε, ἐρήσατε ἀγένη:
Ἐλδοκῆτι περισούσει ἰδιάνοια ἀλωαῖς,
Πρὸ σαχύων δώσω μὲν ἀγλαόκαρπον ἀρέρης,

**Christophorus Grunhagius
Cellâ Saxo,
Respondens.**

P R A E L O Q V I U M.

Quemadmodum ij. qui alicujus aedificij, & bene rationeque suscitati, & ornamento-
 rum omni genere spectati, pulchritudinem pervidere gestiunt, non satis sibi
 ducunt esse, illud transitorie perfunctorieque oculis lustrasse, aut usurpasse uno
 totum effectu, verum & partes, quae minutae, quae praestantes, singulas curiosae
 mentis imagine sibi pellustrandas, separatimque cum diligentia considerandas, omnino ar-
 bitrantur. Ita non absimili ratione, ut nostrae primae & divinae Philosophiae, in ejus con-
 sideratione toti haeremus defixi eximiam & pulchritudinem, & amplitudinem summam
 penitus cognoscamus, quia arcem eius excelsissimam haecenus in praegressis disquisitioni-
 bus, super Generali eius parte, quae in Ens ipsum cum affectionibus suis tam simplicibus
 quam disjunctis contemplati fuimus, habitis, uno quasi intuitu aspeximus; Iam ad singula
 quasi conclavia incursumus quidem, at non sine cura, progrediamur, & quae Entis species,
 paulum in propria parte exquisitius videamus. Et hoc non extra aut contra veram ordinis
 (qui nimis vere, Platonis de sententia in Gorgia, anima scientiarum omnium est:) ratio-
 nem Siquidem de genere ut agendum prius, nam est & communius, quod nunquam non an-
 teponi debet, & notius, ipsa enim genera, ait subtilitatum magister Exerc. 309. sect. 21. sub
 notionem comprehensionis & predicabilitatis notiora sunt quam species; sic & omnigenam ra-
 tionem genere explicato ad species descendendum est. οἱ μὲν καὶ ὅλγ' λόγοι κενώτε-
 ροι εἰσιν, οἱ δ' Ἰπὶ μέρους ἀληθινώτεροι, ait Sapientiae consultiss: Philosophus
 lib. 2. Eib. c. 7. Est vero pars haec Metaphysicae Propria seu Specialis augusta penitus, alta
 & sublimis quaeque & multa & profunda indiget contemplatione, maxime ob Dei & In-
 telligentiarum cognitionem: Quod ipsum tamen Eius partem praestantem est argumentum
 certissimum nam ut ille inquit, levium metallorum fructus in summo est, illa opulentissi-
 ma sunt, quorum in alto laet vena obiduae plenius responsura fodienti, Seneca Epist. 23:
 Partem ad eam exploratam cognoscendam maximum invitamentum, siquidem cum animus
 sit divinus, meritisimam divinam quae eius, propriae partis, continentur circumflexu, interes-
 se debet Idem in praefat. lib. 1. Nat. q. 9. Quare ut bis — verborum ambages exorsaeque
 longa facessant, ad rem ipsam concito accedimus ac dum plurimum proficit sermo, qui mi-
 nutatim irrepit animo, Seneca lib. 5. Epist. 38. vice saltem hac de Substantia & Accidente
 industriam nostram probaturi sumus: Cumque a Sapientiae studio nobiliora tantum occu-
 panda, non omnia complectenda, Scalig. in lib. de Plant. f. 152; Ideo de themate dicto sele-
 ctiss: haec praecipue notanda ceteris, impresentiarum paulo altiori sunt percurrenda intellectu.

T H E S I S I.

Et si proprie vereque, Ens in specie tribui nequeat, quippe quod generis veri
 naturam nequaquam subit, adeoque genus recte minus cluet: Tamen, quia
 ab hac loquendi forma minimè Philosophi, quaeque majorum gentium, abhorruerunt,
 Nos etiam ab ista appellatione recedere nec volumus nec possumus. Utque
 Entis specierum seriem clariùs videamus, istud secundum intimam naturam
 suam dispescimus in Finitum & Infinitum.

11. Quam tamen & finitatem & infinitatem intellige non de differentiis
 quantitatis, sed de perfectione essentiali, quae si fuerit limitata, Finita &

creaturis propria; Sin planè & plenè omnem captum & mensuram excedit.
Infinita nuncupatur, & quâ solus Iehovah gloriosus, creator omnium, quot-
quot sunt, rerum, præditus est, siquidè infinita duo nequeunt esse, neq; in na-
turâ, neq; extra naturâ, essent n. duo principia prima, Scal. Exerc. 359, f. 3.

III. Ens finitum, de quo primitus verba faciendâ, cum ex cognitione hu-
jus infinito aliquid claritatis accedat, iterum discriminatur in Substantiam
& Accidens. Etenim omne Ens finitum vel tale est ut nulli alteri accidat, ve-
rum per se subsistat, vel tale est, ut alicui accidat, seu adhareat, illudq; extra
essentiam eius adficiat; Quicquid modo priori se habet, sub substantia ratio-
ne, quod autem posteriori, sub accidentis ratione comprehenditur.

IV. Estq; minimè divisio hæc univoca, quandoquidem Ens sua inferiora
non respicit tanquam genus univocum, sed tribuitur illis $\pi\epsilon\delta\varsigma\ \epsilon\upsilon$, cuius na-
tura in eo consistit, quod secundum prius & posterius, certo quodam servato
ordine suis impertiatur speciebus. lib. 3. Met. c. 2: Sic substantia prius Ens est,
quam accidens, imò nî eadem esset, hoc entis naturam non sortiretur; Sic Ac-
cidentia absoluta priora relatis sunt, dum illa his substernuntur.

V. Ac complectuntur divisione dicta res universim omnes, licet non modo
uno: Quædam enim per se & directè ad classes constitutas pertinent, ut sunt
Entia per se, realia, completa, & univoca, seu, ut apertius hoc constet, genera
& species subalternæ, unâ cum specie ultimâ; Quædam indirectè, ut diffe-
rentia generum & specierum; Quædam demum reductivè, ut sunt rerum
tüm principia, tüm modi, quibus in eâdem classe conceditur locus aliquis, in
quâ res inveniuntur.

VI. Porro ut à substantiâ auspicemur, necessitas modis multis postulat,
cum quia natura prior est accidentibus, tüm quia accidentis esse, quod est in-
esse, per substantiæ esse cognoscitur, lib. 6. Met. c. 1. Dicitur autem substantia,
vel à substando, quia accidentibus, & universalibus attributis essentialibus
subst. at, quam notationem probare videtur Aristoteles in lib. de careg. cap. 5;
vel à subsistendo, quod per se, non in alio, ut Accidens subsistat, August. lib. 7. de
Trinit. cap. 4.

VII. Quâ autem propriè acceptatur, impropriè enim nonnunquam pro
essentia cuiuslibet rei sumitur, describi hunc potest in modum, quod sit Ens
revera proprium esse à seipso habens, & quod non est in alio tanquam
subjecto: Quâ descriptione due substantiæ exprimuntur proprietates, qui-
bus contra accidens distinguitur omnigenâ ratione.

VIII. 1. Quod habeat proprium Esse à seipso. Quæ tamen intelligenda est
proprie-

proprietas non respectu causa efficientis, sic namq; solus Deus esse habet à seipso; sed respectu principiorum constituentium: Non enim Ens aliud ad constituendam substantiam concurrat, præterquam principia substantialia, cum contra accidentium essentia non nisi interventu substantia perficiatur.

IX. 2. Quod non insit in alio, tanquam scilicet in subiecto, quæ restrictio non frustranea est aut de nihilo habenda, siquidem majoris additur distinctio- nis gratiâ cum multi sint modi, quibus aliquid dicatur esse in alio, uti videre est ex lib. 4. Phys. c. 3. qui tamen minimè huc quadrant, præterquam dictus, & quo duo exiguntur, unum, quod non ingrediatur constitutionem rei cui inhaeret, alterum quod in esse suo pendeat ab ipso subiecto.

X. His proprietatibus substantiæ duabus addi possunt non inconcinne & alia due, quæ ipsi conveniunt non respectu prædicationis, (Quo aliàs substan- tijs primis illud est competens, quod de nullo subiecto dicantur, quodq; signi- ficent Hoc aliquid; Secundis verò illud proprium est, de primis univocè dici) verum ratione nature realis.

XI. 1. Quod ei nihil sit contrarium: Quæ tamen in solidum est acceptan- da de contrarietate propriè ita dictâ, quæ non tantum summam inter con- traria exigit distantiam, sed etiam mutuam pugnam, quæ ex actione & re- actione potiss. manifestaria, postulat; Talis autem substantijs non concedi- tur, quippè quæ uno pereunt impetu non à contrario, sed à privante destru- ite. 2. Quod non recipiat magis & minus, quia scilicet essentia & forma rerum sunt indivisibiles, in instanti enim producuntur.

XII. Dirimitur deinde substantia in Incompletam, quæ pars est substan- tiæ, vel ad modum partis concipitur, ut sunt principia substantialia, materia & forma: Et completam, quæ integra est & totalis substantia; Estq; vel in- corporea, quæ completa vocitatur ob perfectionem suam, prout ea in substan- tiam creatam cadere potis, absolutissimam, vel corporea, quæ ex materiâ & formâ componitur.

XIII. Hac iterum vel simplex corpus est, & aut æthereum aut sublunare, vel Mixtū: Taleq; est vel Imperfectè vel perfectè mixtū, quod aut inanimatū existit aut animatum, & hoc vel est vegetans, vel sentiens, quod demum est vel irrationale vel rationale. At hæc corpora omnia ratione quidditatis & Entitatis ad hanc pertinent scientiam, licet aliâ ad alias consideratione. Rem hanc pluribus possemus clarare rationibus, sed & eas, & alia, quæ addè hic solent, plurima, quia aliunde ex facili peti possunt, meritiò omitterimus. Tantum igitur de Substantiâ.

XIV. *Accidens verò variè sumitur, tum pro Non Ente seu nudâ Entis' adparentiâ, tum pro eo, quod contra ei distinguitur, quod per se inest, tum quod rarenter contingit, tum quod adest vel abest præter subjecti corruptionem, tum demum pro alterâ Entis specie substantiæ contradistinctâ, quâ est ratione unicè hujus loci: Sicq; describi quit, quod sit Ens, substantiæ sive subjecto inherens.*

XV. *Licet enim ipsum accidens primariò Ens non sit, tamen quasi Entis est Ens, sicq; secundariò Ens rectè adpellitur, lib. 7. Metaph. t. 1: Sic eius cum natura sit inherentiâ, ita ut, sicuti protritum & provulgatum illud Boëtij habet, eius Esse sit Inesse; Non perperam adferitur, quod subjecto sive substantiæ inhereat. Accidentia namq; sine substantia, quæ eorum fulcrum est & basis, subsistere posse, est absurdum tam, quàm quod absurdissimum.*

XVI. *Est autem dividuum accidens in absolutum & relatum: Illud est, quod ad aliud nullum respectum habet, uti est Quantitas vel Qualitas. Illa hanc subit descriptionē, quod sit Ens per se extensum, ratione cuius substantia partem extrahet partem, inq; est partes divisibilis, lib. 5. Met. c. 13. Ex quâ patescit, tum quod quantitas realiter à substantia differat, tum, quod formalis Quantitatis ratio consistat in extensione, non omni sanè, sed situalli potiss. respectu cuius res quantitate affecta, nata est habere partium extensionem in ordine ad locum.*

XVII. *Hinc Quantitas duplex est, alia Molis seu propriè sic dicta, quam jam consideravimus, alia virtutis seu per metaphoram ita adpellata, quæ extenditur ad facultates & vires, sicuti dici consuevit, vires esse exiguas, magnas &c. Alias species eius, de quibus non per omnia univoce dicitur, sunt quantitas Continua & Discreta.*

XVIII. *Illius, quæ vario pro respectu variè definitur, vel quod sit Ens, cuius partes communi termino cohererent, vel quod apertum est natum dividi in infinitum, vel cuius motus est unus; species iterum reali ab invicem dissidentes discrimine, tres sunt, linea, superficies, corpus, ad quas punctum, tanquam terminus & principium reducitur: His alibi Aristoteles Tempus & Locum adiecit, in lib. de categ. cap. 6. quod tamen factum est saltē populariter, & ex opinione aliorum.*

XIX. *Hujus, quæ Ens est aut cuius partes nullo communi termino combinantur inter se, aut cui nihil repugnat in infinitum augeri, aut quod ex indivisibilibus est conflatum; Species unica est Numerus, ad quem revocatur unitas, tanquam principium: Huic iterum Aristoteles alicubi adiecit orationem,*

tionem; verum neq; hæc essentiã, sed duntaxat opinione & metaphoricè
quantitas est.

XX. Ceterum Qualitas, non quã pro omni sumitur accidente, verum quã
pressius accipitur, prout videlicet alterum accidens absolutum constituit, est
Ens, quo res dicuntur quales: Quæ descriptio licet undevis perfecta non sit,
tamen, quia veram qualitatis ad suum effectum habitudinem exprimit, ejus
aliquantum sufficientiam exprimit.

XXI. Species vero ejus, sufficientes omninò, quatuor numero sunt: 1. est
Habitus & Dispositio, quæ sanè non species sunt contrà distinctæ, sed diffe-
runt saltem ut magis & minus; Siquidem ille qualitas est crebris acti-
bus comparata, ita ut difficulter à suo subjecto removeatur; Hæc est qualitas
pauculis quibusdam actionibus acquisita, ita ut facile diluatur rursus &
obliteretur.

XXII. 2. Potentia seu vis naturalis, quæ est ingenita àq; naturali com-
plexione indita alicui qualitas, per quam ipsum redditur naturaliter po-
tens ad aliquid agendum, vel ad alicui resistendum; Et Impotentia natura-
lis quæ contrà se habet. 3. Passio, quæ qualitas transiens est sensui passionem
inferens, aut quæ à passione infertur: Et patibilis qualitas, quæ ab illa haud
seorsus differt, quàm habitus à dispositione. 4. Figura, quæ qualitas est quan-
titem determinans; Et Forma, quæ est species rei externa, in oculos in-
currens. Tantum de Accidentibus absolutis.

XXIII. Relata sequuntur, quæ sunt vel propriè sic vocitata, vel improprie:
Illa sunt, quorum Esse est referrì ad aliud, tanquam ad terminum; Illa si-
quidem non vendicant aliquod esse absolutum, sed omnis eorum essentia in
respectu, non quovis sanè, at qui est terminorum & relatis proprius, funda-
tur. Hinc enata est distinctio relatorum, in relata secundum dici, & secun-
dum esse: Inter quæ est hoc discriminis, quod illa reducuntur saltem ad hanc
seriem, hæc vero per se ingrediuntur.

XXIV. Sic quoq; Relata alia Rationis sunt, quorum Esse à nostra de-
pendet mente, extra quam nullibi reperiuntur: Alia Rei, quorum Esse per se
est, licet nullius hominis intellectu adprehendantur. Sic alia Mutua di-
cuntur, quorum unum ad alterum refertur, si vel nulla hominis cogitatio acce-
dat: Alia Non mutua, quorum unum duntaxat realem ad alterum respec-
tum habet, alterius vero consideratio mentis nostræ opus est.

XXV. Ad relatorum autem integritatem requiruntur tum subjecta duo,
quia est impossibile, ut relatum & correlatum eidem secundum eandem par-
tem

sem inhereant; cum duo fundamenta, quia utrumque subjectum informari ac
disponi debet, ut hinc termini recte fundari possint; tum termini duo, nim. a
quo & ad quem, quorum ille initium respectus præbet, hic vero finem consti-
tuit; tum demum ratio fundandi, quæ aliud nil, quam fundamentorum in
uno tertio convenientia.

XXVI. Relata proprie sic dicta fuerunt, sequantur improprie ita voca-
tata, quæ sunt vel in fieri vel in esse. In fieri sunt Actio & passio. Illa est cre-
yca ab agente proficiscens; Hac est crepyca a patiente recepta: Ac licet
nulla inter actionem & passionem sit realis diversitas, quippe cum ad sum-
mum distinguantur ratione rationata; Tamen diversus essendi modus, a quo
primò diversi denominandi aut predicandi modi consurgunt, sufficit ad di-
stincta genera constituenda.

XXVII. Duplex autem est actio, ut & passio, Immanens, quæ in solo agente manet,
quales operationes sunt anima, & potiss. vitales: Et Transiens, quæ ab agente progreditur
in patientem, estq; vel sine motu, ut cum creatione res se habet, vel cum motu, ac vel spirita-
lis est, seu intentionalis iuncta scilicet cum motu metaphorico, vel realis, siq; quæ præse sumi-
tur, & quæ latè patet atq; motus.

XXVIII. Improperia relata in esse, hujus quidem loci sunt, (nam fitus & habitus eas
continent rerum species, quæ Metaphysice præstantiâ vix dignæ) Quando & Vbi: Illud
est id quod ex adjacentia temporis retingitur. Estq; vel activum, ac est relatio temporis
ad rem in tempore existentem: vel passivum, quod relatio rei est temporalis ad tempus.

XXIX. Formale verò hujus generis nullum est aliud quam Duratio, quæ finitur
permanentiâ rei inesse: Ac dividitur in Imaginariam, quæ a nobis tantum concipitur, tri-
buiturq; rebus fictis & similibus; Et realem, quæ rei in veritate in rebus est. Et hæc per
modos quidem divisa, est vel extrinseca, quæ proprie temporis tribuitur, vel intrinseca,
quæ in omni re necessaria; Per differentias verò est vel increata, ut eternitas simpliciter
dicta, inq; cadens solum Deum, vel creata, quæ vel permanens, iterumq; aut immutabi-
lis, ut ævum, aut mutabilis, ut corporum duratio: Vel successiva, quæ non permanet, nisi
quamdiu una pars eius alteri succedit.

XXX. Vbi est id quod vel ex circumscriptione loci, vel præsentia aliarum rerum o-
ritur: Eiusq; formale est quidam modus realis & intrinsecus illi rei quæ alicubi esse di-
citur, a quo habet talis res, quod sit hic vel illic, & sic aliud est circumscriptionum quando
res ita ibi est, ut sit tota in toto, pars in parte spatij quod occupat; Aliud definitivum, quo
res ita est alicubi, ut sese intra definitum spatium contineat, nec simul extra illud existere
possit, ubi negatio extensionis intelligenda est. Atq; tantillum de præsentis negotio dixis-
se, sufficiat etc.

ADIECIANA.

I. Divisio Entis in substantiam & accidens est proxima & sufficiens. 2. Eiusq; autor
omnino est Aristoteles. 3. Ex duabus a. substantijs in actu perfecto constitutis non potest u-
na per se fieri. 4. Licet ab accidente produci queat. 5. Dicitq; in communi accidens unam
rationem objectivam. 6. Quantitas realiter a substantiâ discrepat. 7. Contrarietas pro-
prie ac perfecte qualitati convenit. 8. Duratio rei eiusq; existentia distinguuntur solum
ratione. 9. Res incorruptibiles tempore non mesurantur. 10. Eadem etiam non ex ne-
cessitate naturali adequatum habent Vbi. FINIS.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
DISPUTATIO
ATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XXXII.

DE
REBUS ENTIS,
PRIMUM DE SUBSTANTIA
ET ACCIDENTE.

Quam,
adjuvante Numine,
SUB PRÆSIDIO

THOMÆ TILLEMANNI

Colleg. Philos. Adjuncti,

honoris gratiâ defendendam suscipiet,

CHRISTOPHORUS GRUNHA-
US, Cellâ Saxo.

in Vittebergensi Academiâ,

die 12. Januarii horis 8 et loco solitis,

ex lib. 2. de Ira cap. 29.

lucet, quò sæpius ad manum venit.

VITTEBERGÆ,
GORMANNI ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

